



Leutolphus ex illustrissima Vedekindi ducis familia natus, & apud suos Saxones in omni generis uirtutibus educatus fuit. Vnde postea superioris Saxoniae princeps constitutus, circa annum 840, suam patriam armis contra aduersarios strenue defendit, atque Christianorum fidem conseruauit & auxit. Is inter alia insigne monasterium uirginum in Gandersheim fundauit, atque id multis opibus & immunitatibus dotauit. Vnde postea tres filias Hatomadam, Gerbergam, & Christinam in eo collocatas Deo inseruire, atque pietati operam dare iussit. Ex his S. Alfridus Hatomadam primam eius loci abbatissam constituit, anno 852. Cum hac ratio

ne Leutolphus per multos annos eam Germaniae partem optime gubernasset, tandem moriens, Ottoni & Brunoni, suis filiis, ducatum administrandum reliquit. Anon. Crantz. lib. 2. Sax. cap. 29.